

pellucidas denotans, PLINIVS sane *Histor. Nat. L. XXXVII. peculiare* caput de gemmis non translucentibus fecit, marthinas in gemmis enumerat et omnes lapides pretiosos nomine vno gemmas appellat. Quod autem VLPIANVS qui in *cit. leg. 19.* gemmas a lapillis separat, vel potius Imperator in nostro textu gemmae tantum et non insimul lapilli fecerit mentionem, haec forte subest ratio, quod veteres gemmas quidem, non vero lapillos facile auro et annulo includere atque digito gestare soliti fuerint. Sic gemma ex annulo legitur in *L. 17. D. de Aur. Arg. eccl. legat.* gemma in auro in *L. 11. D. eod.* gemma inclusa auro in *L. 6. D. ad exhib.* gemma includenda aut insculpenda data. in *L. 13. §. 5. D. Locat.* gemmata corona apud PLIN. *Hist. Nat. L. XXII. C. 3.* et Calix ex Smaragdis apud EVND. *L. XXXIII. in Prooem.* Quale de lapillis non aequae reperio.

XV.

Vel si quod chirographum magnae pecuniae in sinu babuerit, nullo iure illud in pannicularia ratione tenebitur.

Veteres in sinu nummos et pretiosa quaeque recondere et circumferre solebant, prout exemplis illustrat SCIPIO GENTIL. *Parerg. ad Pandect. L. I. C. XXIII.* apud Otton. *T. IV. p. 1296.* et PERENNONIUS *Animaduers. et Variar. Lect. L. I. c. 13.* apud eundem *T. I. p. 609.* Hinc sinus dicitur priuatum patrimonium et in sinum conuertere est conuertere in rationes priuatas, velut in *L. 16. §. 3. D. Qui et a quibus:* vbi ICTUS de debitore fisci, qui soluendo non erat, locutus, *plane ea, inquit, quae in fraudem fisci in sinus eius collata sunt, reuocanda.* Eodem sensu sinus occurrit in *L. 27. D. de Probat. Titio centum do lego, quae mihi pertulit, quae ideo ei non caui, quod omnem fortunam et substantiam, si quam a matre susceperat, in sinu meo habui, sine vlla cautione,* et in *L. 6. §. 2. D. ad L. Peculat. Is autem, quae furanti sinum praebuit perinde habetur, atque si manifesti furti condemnatus esset, et famosus efficitur.* Iustinianus in *Constit. Tanta* sinus appellat partes, libros ac titulos, qui velut receptacula quaedam rerum omnium ciuiliu ex omnibus iuris antiqui partibus electas definitiones continent. Vid. DROSAEVS *de Methodo Iuris ad dict. loc.*

XVI.